

*B. Nitraria sibirica* (*Tab. L. litt. A.*) radice lignosa supra terram tuber crassitie saepe capitis exhibet, verrucoso-venosum, e quo *furculi* prostrati, imo terra adpressi, viginti et ultra, cubitales, ramis elegantissime pinnati, per orbem sparguntur. *Surculi* tenuiores, quam in Caspica, magis elongati, rectiusculi, gryeo albidi, *ramis* alternis, patentissimis, terrae itidem ac clinibus, e quibus eriguntur *ramuli* sursum secundi, in antiquioribus plerumque spinescentes, et tantum foliati, in junioribus ramis saepius apice in cymas floriferas dichotomi. *Folia* multo minora, quam in Caspica, forma simillima, magisve succulenta et salsa. *Cynae* florum minores, confertiores, magisque pilosae. *Flos* omnibus partibus minor, sed calyce evidentiore (*Litt. D. 2. 3.*). *Fruuctus* inchoatus (*Litt. D. 1.*) ut in altera varietate. Sed *Drupa* matura (*Litt. E. 1.*) multo minor, succo coerulescente nigro chartas inficiens, et *nux* minime conico-acuminata, sed ovata (*Litt. E. 2.*), subtrigona (quod non in *N. caspica*), apice tamen itidem sex sulcis per paria approximatis arata, foveolisque exiguis, saepe vix conspicuis impressa. Quae tamen differentiae omnes pro stabilienda specie mihi non videntur sufficere.

Hanc *Stellerus* et *Gmelinus* praesertim observarunt. In pinguibus, maxime salmis ad Lacum Korakoffoi Sibiriae, observavi vere frutices multo robustiores, furculis varietati caspicae fere pares, foliis latioribus, quinatis in singula gemma, modo integris, modo varie incisis (*Litt. C. 1. 2. 3. 4.*), sed nescio an florescentia differant.

*Tabulae L.* figuræ in descriptione explicavi.

